



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 247. An aliquis, hoc ipso quod capiatur, presumendus sit reus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

quos *Delrio* suggerit Judici, planè rejicit. *v. Tan.* " "  
*q. 2.d.2. Trull. l.c.* " "

**VI.** Licet Reus confessionem injustè extortam " "  
 postridie ratificet, nihilominus Judex non potest " "  
 procedere ad punitionem Rei vel complicis occulti, " "  
 quia cùm confessio fuerit irrita, consequenter etiam " "  
 ratificatio ex ea orta ex *l. penult. ff. de quaest.* atque " "  
 adeo etiam cognitio per illud medium parta, est in- " "  
 justa. *Nav. Salon. Leff. Sayr. Trull. d. 10.* " "

**xi. II.** Gravius torqueri potest, contra quem " "  
 graviora sunt indicia; non tamen ita, ut moraliter " "  
 sit impossibile tormenta sustinere, habitâ ratione " "  
 personarum: Unde si hîc excedatur, confessio ex- " "  
 torta erit involuntaria, & habenda pro nulla, " "  
 etiamsi extra tormenta coram Judice ratificet, me- " "  
 tu novæ torturæ. *Lay. n. 11.* " "

**Resp. III.** Semel tortus, si nihil est fassus, iterum " "  
 torqueri non debet, nisi nova criminis indicia su- " "  
 perveniant, quia per torturam priora elisit. Si verò " "  
 crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram " "  
 Judice, repeti tortura potest, tum quia indicia ma- " "  
 nent in suo vigore; tum ob inconstantiam: Si verò " "  
 tertius tortus ac confessus, tertius retractet, absolven- " "  
 dus est; quia præsumendum est, vi tormentorum " "  
 coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. *Leff.* " "  
*d. 17.* Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, " "  
 quæ violentam præsumptionem pariant, crimen " "  
 malitiosè à Reo negari. *Lay. l.c. vide Lugo n. 157.* " "  
*Dian. tom. 3. tr. 6. R. 16. & 23. Trull. l.c. v. infrà h̄c* " "  
*dub. 6. & 7. An & quando, & quomodo Judex pos-* " "  
*fit interrogare Reum de complicibus. v. Trull. d. 22.* " "

*A D D E N D A.*

**Q.** 247: *An aliquis, hoc ipso quod capiatur,* 1441  
*statim præsumendus sit reus. R. Negativè:*  
*B b b 4* *quod*

quod maximè verum est in inquisitionibus circa sagas, uti rectè ostendit Spe d. 19., & patet universali ex jure, l. 17. Cod. de accusat. servari jubemus, ut quicunque in discriminem capitum accersitur, non statim reus, qui accusari potuit, existimetur, ne subjectam innocentiam feriamus. Et ratio est manifesta, quia sèpe falsæ sunt denuntiationes; & in dubio semper præsumendum est in partem meliorem pro innocentia, pro qua est possessio, ergo.

1442

*Q. 248. Quæ indicia requirantur, ut Index possit specialiter inquirere, capere, torquere, condemnare. R.*

§. I. Indicia dicuntur, ex quibus colligi potest factum: sunt autem magna, majora vel maxima. *Magna* dicuntur, quæ reddunt factum valde credibile; *Majora*, quæ reddunt factum ferè seu quasi moraliter certum, & hæc vocat vehementia *Less. l. 2. c. 29. n. 151.*, ita ut ad plenam certitudinem nihil deesse videatur, nisi sola confessio, uti innuit lex n. 1443. citanda, sive, ut ait Spe d. 32. quæ ita probabant, ut non plenè convincant, valde autem ad probationem plenam accedant, quasi luna, cum ad lucem integrum ultra sui dimidium aspirat.

*Maxima*, quæ undiquaque convincunt & plenam faciunt probationem.

1443

§. II. Ad capturam, imò & ad specialem inquisitionem contra aliquem instituendam requiruntur indicia magna, nam capi aut specialiter inquire in aliquem tanquam reum assert gravem infamiam & magna incommoda, ergo Charitas & justitia vetat ad ista procedi, nisi ex indiciis magnis: Et quidem quò persona est dignior, vel captivitas aut inquisitio futura est ignominiosior aut damnoferior, eò majora requiruntur indicia, uti rectè Spe supra. Ad condemnationem requiruntur indicia maxima,

quia